



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 59. S. Udalricus Cluniacensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sed etiam tertium hominum genus ^{Sæculum XI.} in monasteriis visebatur, qui Traditi seu ^{A.C. 1091.} Oblati dicebantur. Hi nulla professione ligati, & vestem gerentes, haud multum a Sæcularium habitu abhorrentem, & se & res suas monasterio tradebant, Præpositis obediunt, & cœlibem vitam ducebant, in quo a Servis distinguebantur, qui uxores habebant. Nam quidam viri ingenui Monasteriorum servitio se devovebant, præcipue in honorem clarissimorum Sanctorum, quos monasteria Patronos colebant; in signum vero hujus fœderis collum funi, quo Campana movebatur, inferebant, aut nummos capiti suo, vel caput Altari imponebant. Hos ergo Devotio Monasterii servos effecerat, ab aliis, qui conditione natalium tales erant, diversos.

Cang. Gloss.
oblatis.

§. LIX.

S. Udalricus Cluniacensis.

Sub idem tempus in vivis agebat S. Monachus Udalricus, Moribus Cluniacensium in lucem editis celeberrimus. Eum, Ratisbonæ ex illustri prosapia natum, parens, Imperatori Henrico Nigro in paucis carus, juvenem jam tunc literarum studio & pietate insignem ad aulam Cæsaream vocavit. Ipse inter proceres morum puritatem conservans, cum Agnetis Imperatricis animum singulari

Hist. Eccles. Tom. XV.

R.r

me-

Sæculum XI. modestia sibi conciliaffet, eandem suo
A.C. 1091. exemplo in virtute firmavit & consiliis
 adjuvit. Udalricum deinde Episcopus
 Frisingensis, ejus patruus, ad se accer-
 tum, Diaconum ordinavit, & postmodum
 Ecclesiæ suæ Præpositum constituit. (*)
 Tum Udalricus Imperatorem in Italiam
 proficiscentem secutus est; sed inde ce-
 leberrime rediit, dira fame exorta Fra-
 tribus suis auxilium laturus, quod ut
 præstare posset, creditoribus in paternæ
 hæreditatis fundos jus hypothecæ tra-
 didit.

Exinde Peregrinatione Jerosolyman
 suscepta, quotidie priusquam equum
 conscenderet, Psalterium recitavit. In
 Germaniam redux alium Episcopum Fri-
 singensem propinquo suo defuncto suffe-
 ctum habuit, sibi que ipsi superstiti alium
 Præpositum subrogatum miratus est;
 quod æquo animo ferens Ratisbonam
 concessit. Tunc vero consilium cepit
 fundandi Monasterium; sed cum tem-
 poris

(*) Hic Episcopus Frisingensis in Vita S. Udal-
 rici dicitur Nilo, & infra subjicitur hæc Nota:
*Nullus ejus nominis Frisingensis occurrit Anti-
 stes in Catalogo Episcoporum hujus urbis apud
 Hundium. tom. 1. Metrop. Salisb. nisi Nilo idem
 fit ac Nicerus seu Nitgerus, qui hanc Sedem ab
 anno 1039. ad 1052. tenuit. Act. SS. Bened.
 Sæc. 6. pag. 781.*

poris iniquitas & Episcoporum tepor ob-
 starent, quo minus propositum exseque-
 retur, se ipsum Deo consecrare decre-
 vit. Ergo Bonis suis tum in pauperes,
 tum in consanguineos distributis, una
 tamen parte sibi servata, quæ ad piam
 foundationem sufficere poterat, quid me-
 ditaretur, Geraldo Ratisbonensis Eccle-
 siæ Scholastico aperuit, persuasitque ut
 & ipse mundum relinquere statueret.
 Tum inter ambos convenit, Monasterium
 Cluniacense, quod tunc temporis Regu-
 læ exacta observantia celeberrimum red-
 debat, adire, postquam simul profectio-
 nem ad Limina Apostolorum suscepis-
 sent.

Roma revertentes, a S. Hugone Ab-
 bate Cluniaci excepti sunt. Elapsis
 aliquot annis Geraldus ibidem Major-
 Prior fuit, quem postquam Gregorius VII.
 Episcopum Ostiensem eligi curasset, ejus
 opera, ut retulimus, in variis Legationi-
 bus usus est. Udalricus vero ad trige-
 simum ferme annum pervenerat, quando
 Cluniacensibus monachis adscriptus fuit,
 quem Hugo Abbas Presbyterum ordina-
 ri curavit, Capellanum sibi delegit, a
 consiliis habuit, & toti Congregationi
 a Confessionibus esse voluit. Eundem
 Hugo Monialibus Marciniacensibus Præ-
 positum dedit, tumque eum quodam
 optimo Germano nomine Lutoldo * di-
 misit,

Sæculum XI.
 A.C. 1091.

S. Udalricus
 Monaste-
 rium fun-
 dat.

* de Rume-
 lingen.

R r 2

Sæculum XI. misit, in suis prædiis monasterium ex-
A C. 1091. tructuro, sociumque Cunonem mona-
 chum addidit. Duo Monachi, cum lo-

* Montem
 Rotgeri.

cum * extruendo monasterio notassent,
 & apud Sæculares diversari nollent, in
 specum se receperunt, ubi Quadragesi-
 mam, pane & aqua contenti, transege-
 runt, expectantes tempus æstivum, edu-
 cendis ædificiis aptum. Hæc vivendi
 ratio indigenarum oculos in novos Ana-
 choretas convertit; multique accede-
 bant, primum advenas conspiciendi cu-
 pidine ducti, tum vero etiam Doctrinam
 eorum cœlestem audientes non pauci ad
 frugem conversi sunt.

Ubi ergo veris amœnitas successit,
 construitur Monasterium populis circum
 positis auxilium præbentibus. At duo
 Parochi vicini, invidiæ face accensi, &
 metuentes, ne oblationum pars sibi peri-
 ret, in hospites declamare cœperunt;
 Hypocritas esse, ajebant, quos sordidi
 lucelli spes illuc adduxisset. Cum vero
 quadam die illorum parochorum alter
 iter faciens ac noctis tenebris occupat-
 us monasterii tecta subire compulsus
 fuisset, venientemque Udalricus, amice
 occurrens, complexus fuisset, ac magna
 charitate omnia officia exhibuisset, Pres-
 byterum delinivit, qui postea coram
 commisso sibi grege asperius dicta retra-
 ctavit, optimus exinde monachorum ami-
 cus.

Udal-

Udalricum, ex hoc monasterio Cluniacum reversum, S. Hugo Priorem esse A.C. 1091. Sæculum XI.
 jussit Paterniaci in Diœcesi Lufunensi, cujus Episcopum Buchardum, Schismaticum & a Gregorio VII. excommunicatum, ad sinum Ecclesiæ reducere conatus, multo gravius offensum in se concitavit; quare ab amicis monitus quod si in illa regione maneret, aut de libertate, aut de vita periclitaretur, Cluniacum redire coactus est. Non multo post tempore iterum in Germaniam proficiscitur, Monasterium in Brisgoia conditurus, rogatus ab Equite illius provinciæ, nomine Hefone, qui agros suos hac conditione Monasterio Cluniacensi donavit. Itaque novum Monasterium in loco, ab indigenis *Grüningen* dicto, extrui cœptum; quamvis vero positum esset in solo fertili & jucundo, Udalricus illo relicto, quod advenientium Sæcularium frequentiam ferre non posset, in Cella Silvæ Nigræ sedem fixit; ubi discipulos suos ad paupertatis rigorem & exactam Regulæ observantiam instituit. Divitibus vitam monasticam profiteri cupientibus suadebat, ut ad alias Congregationes, in quibus vitam magis commodam ducere possent, converterentur. At qui sincero corde Deum quærebant, Udalrici severitate non absterrebantur.

Sæculum XI. Conjicere est, neminem Cluniaci
 A C. 1091. Udalrico magis idoneum extitisse, qui

Proam. l. i.
Consult.
 Udalricus ro-
 gatus scribe-
 re Conuetu-
 dines.

fundatis Coloniis Religionem monasti-
 cam propagaret; quippe omnia mona-
 sterii sui Statuta accuratissime notave-
 rat. Id dispicimus ex Tractatu, quem
 rogatus a Guilielmo Abbate Hirsaugien-
 si scripsit. In Germaniam enim ab Hu-
 gone Abbate missus, ut negotia monaste-
 rii in Aula Cæsaris curaret, cum ad hoc
 Monasterium Diœcesis Spirensis in Silva
 nigra divertisset, eum Guilielmus Abbas
 a puero sibi notum magno gaudio exce-
 pit. Cumque frequentissime de Con-
 suetudinibus Cluniacensis monasterii ser-
 monem confererent, aliquando Abbas
 Hirsaugiensis ad Udalricum ait: *Maxi-
 ma est apud nos de monasterio tuo Disci-
 plinæ Regularis opinio, ubi ita vigere
 creditur, ut nullibi magis. Quare maximo
 profecto beneficio nos tibi obstringes, si vi-
 tæ vestræ rationem nobis exposueris, sal-
 tem ut inde salubrem pudorem concipia-
 mus, quod tam longe a vestra perfectione
 remoti simus.* Respondit Udalricus: *Ego
 advena & in illa familia pæne barbarus,
 utpote Francorum linguæ ignarus, tarde
 etiam ingressus, tam facile omnia notare
 non potui, ac indigena a puero in illa Do-
 mo enutritus. Nam ad annum vitæ cir-
 citer trigesimum hujus Sæculi negotiis oc-
 cupabar. Nihilomius lubenti animo qua
 cognovi docebo.* Udal-

Udalricus susceptum iter profecutus Sæculum XI.
 ad aulam Principis pervenit, cumque A.C. 1091.
 redituro res aliqua necessaria deesset, eo Præf. lib. 3.
 tamen adduci non potuit, ut eam vel a Conf.
 Rege, vel a Præsule opulentissimo, quo-
 cum ei negotium erat, peteret, illius
 sententiæ, a S. Hieronymo prolatae, me-
 mor, *nunquam aliquid petat monachus,*
& sponte oblatum raro accipiat. Cum
 in reditu, iterum ut Abbati Guilielmo
 promiserat, Hirsaugiam adiisset, illico
 advertit Abbas, quo Udalricus ad iter
 faciendum destitueretur, nec expectans,
 donec id peteret, cuncta abunde suppe-
 ditavit. Tum hospitem obsequiis cumu-
 lans, etiam ejus tonsuram manu propria
 aptavit & concinnavit, rogans ut se Con-
 suetudines Monasterii Cluniacensis edo-
 ceret. Igitur Udalricus sua Colloquia
 scripsit, indeque Consuetudines collegit.

Jam diu unius oculi usum amiserat, vit. n. 44.
 & biennio priusquam migraret ad Do-
 minum, etiam altero lumine privatus est;
 unde orationi & Psalmodiæ eo liberius &
 studiosius vacavit. S. Hugo, comper-
 to, quod Dominus Udalricum tanto fla-
 gello corripuisset, Cunonem misit, ad
 eum Cluniacum revocandum, cupiens
 afflicto solatium & omnem charitatem
 impendere, ac post ejus obitum Eccle-
 siam suam S. Viri Reliquiis decorare. Sed
 Udalricus Cella excedere renuit, ibique

Rr 4

fene-

Sæculum XI. senectute gravis diem supremum oppetiit, anno Salutis circiter millesimo nonagesimo tertio. Nonnulla miracula vivus ediderat, pluribusque post mortem claruit. Vitam vero ejus post paucos annos Monachus quidam Cellensis scripsit.

§. LX.

Consuetudines Cluniacenses.

vit. n. 34. **C**ollectio Consuetudinum Cluniacensium non modo Monasterio Hirsau-giensi, cujus Bono scripta erat, sed etiam pluribus aliis Superioris Germaniæ ceterarumque Regionum utilissima fuit, quam velut thesaurum maximi pretii conquisierunt. Hic Tractatus dividitur in tres libros, quibus præponitur Epistola ad Guilielmum Abbatem data. In ea *to. 4. Spicil. p. 21.* Auctor inprimis queritur de abusu, quem monasticæ Disciplinæ perniciem appellat. Nempe parentes, quos ampla premebat familia, tanto onere se liberare festinabant, & maxime si haberent filium mutilum, claudum, una manu captum, aut quacunque infirmitate laborantem, huic cucullum destinabant. *At vero, ait Udalricus, in monasterio hujusmodi hominibus debilitatis impleto Regula nullatenus servari potest, & nullibi exacta est disciplina, nisi ubi fratrum plerique* *estate*

vid. Mabii. Elog.

S. Od. n. 17. Sæc. 5.